

quam si spes ei semper affuisset, aut periculum minus fuisset? Etenim tu quoque, misericors pater, plus gaudes de uno poenitente, quam de nonaginta novem justis, quibus non est opus poenitentia. Et nos cum magna jucunditate audimus, cum audimus, quam exultantis pastoris humeris reportetur ovis, quae erraverat: et drachma referatur in thesauros tuos, collaetantibus vicinis mulieri, quae invenit: et lacrymas excutit gaudium solemnitatis domus tuae, cum legitur in domo tua de minore filio, quoniam mortuus erat, et revixit, perierat, et inventus est. Gaudes quippe in nobis, et in angelis tuis sancta charitate sanctis. Nam tu semper idem, qui ea, quae non semper, nec eodem modo sunt, eodem modo semper nosti omnia. Quid ergo agitur in anima, cum amplius delectatur inventis, aut redditis rebus, quas diligit, quam si eas semper habuisset? Contestantur enim et caetera, et plena sunt omnia testimoniis clamantibus, ita est. Triumphat victor imperator, et non vicisset, nisi pugnavisset. Et quanto majus periculum fuit in proelio, tanto majus gaudium est in triumpho. Jactat tempestas navigantes, minaturque naufragium, omnes futura morte pallescunt. Tranquillatur coelum et mare, et exultant nimis, quoniam timuerunt nimis. Aeger est charus, et vena ejus malum renuntiat; omnes, qui eum salvum cupiunt, aegrotant simul animo. Fit ei recte, et nondum ambulat pristinis viribus, et fit jam tale gaudium, quale non fuit, cum antea salvus, et fortis ambularet. Easque ipsas voluptates humanae vitae etiam non inopinatis, et praeter voluntatem irruentibus, sed institutis, et voluntariis molestiis homines acquirunt. Edendi et bibendi voluptas nulla est, nisi praecedat esuriendi, et sitiendi molestia. Et institutum est, ut jam pactae sponsae non tradantur statim, ne vilem habeat maritus datam, quam non suspiraverit sponsus dilatam. Hoc in turpi et execranda laetitia: hoc in ea, quae concessa, et licita est: hoc in ipsa sincerissima honestate ami-